



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Et Capitvlo Lemovicen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

sona propria laborabunt, de Dei & Apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confisi, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus. Ceteros vero qui ad opus hujusmodi exequendum aliqua de bonis suis forte contulerint, juxta munera quantitatem, & præcipue juxta devotionis affectum, remissionis hujus participes esse censemus. Sciat autem se culpabiliter durum, & dure culpabilem, qui monitis apostolicis in operे tam pio & necessario neglexerit acquiescere, cum Apostolorum moneamus exemplis ut collectas pro fratribus & indigentibus, maximè laborantibus in Hierusalem, faciamus. Cum ergo vos ad proponendum verbum Domini populo Sicilia, de providentia & religione vestra confisi, duxerimus deputandos; discretionem vestram rogamus, moneamus, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus circumvenientes civitates, oppida, & castella, tam cives, quam nobiles, & universum populum Siciliæ salubribus monitis & exhortatione assidua inducatis ut opponant se murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso & (sicut dictum est) supradictæ orientali terra studeant subvenire. Taliter autem sollicitudinibus vestrae prudentia his exequendis infusat ut zelum Domini vos habere in instanti necessitatibus articulo comprobemus, & ad dilectionem vestram tanto amplius provocemur, quanto ad liberationem terræ illius ardenter aspiramus. Confidimus enim quod si cum Petro rete prædicationis vestra laxaveritis in verbo Dei, non tam copiam multitudinem piscium quam utillem & necessariam, & per quam pater misericordiarum & Deus totius consolationis finem imponet super hoc laboribus Ecclesiæ, concludetis. Datum Romæ &c.

*In eundem ferè modum omnibus per Apuliam, Calabriam, Thusciam, & .... constitutis.*

CONVENTVI S. SALVATORIS  
de Tileso.

**C**AUSAM quæ inter P. quondam Abbatem vestrum ex una parte & vos ex altera vertebatur, venerabilibus fratribus nostris Beneventano Archiepiscopo, Episcopo Telesino, & dilecto filio

Priori S. Andreae recolimus commissum. Sed ipso Episcopo propter ægritudinem excusato, & dicto Archiepiscopo vices suas, propter emergentia negotia, dilecto filio Beneventano Primicerio committente, cum præfatus Prior & Primicerius controversiam vellent servato juris ordine pertractare, tandem, sicut accepimus, factum est de consensu partium quod Abbas sponte renuntiaverit abbatie, & si placaret nobis, in uno casali sibi monachi providerent. Nos ergo attendentes quod cuilibet licet renuntiare his quæ pro se introducta sunt, ratam resignationem ejus habentes, & eligendi vobis pastorem facultatem liberam tribuentes, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus servantes unitatem spiritus in vinculo pacis, vel de ipsis monasterij gremio, si quispiam ibi ad hoc reperitur idoneus, vel de alio etiam monasterio, secundum regularem observantiam tales personam studeatis eligere in Abbatem, quæ afflito monasterio præesse valeat & prodesse: quem, cum electus canonice fuerit, cum monachorum numero competenti nostro conspectui præsentetis, benedictionem receperatum à nobis, si vestris votis duxerimus annuendum. Si vero secus agere præsumperitis, & electum & electores confusos ad vos remitteremus, & nos ipsi per alios faciemus indemnitati monasterij provideri. Datum Romæ apud S. Petrum V. Non. Iulij.

EPISCOPO ET CAPITVLO  
Lemovicen.

**N**EC novum deberis nec absconum reputare, si de illorum sumus pro visione solicieti, qui apud sedem apostolicam pro suis vel suorum dominorum negotiis constituti, nostram & fratrum nostrorum gratiam conversatione laudabili meruerunt. Tanta est enim apostolica sedis benignitas ut accedentes ad se fratrum & coepiscoporum nostrorum nuncios benignè recipiat, & laborem eorum qui apud eam longo tempore commorantur, in beneficio vel alii quæ dignè postulaverint, recompensem. Inde est quod cum dilectus filius noster Magister Petrus Chalboini, venerabilis fratris nostri Walteri Rothomagensis Archiepiscopi Clericus, ex diutine mora quam apud nos fecit, sua probitatis

Epist. 304.  
Vt quendam  
M. Petrum in  
Canonicum re-  
cipiant.

AYMONI DECANO MATISC.

& scientia meritis nobis & fratribus nostris carus sit admodum & acceptus, pro ipso literas vobis duximus apostolicas destinandas, rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum in Ecclesia vestra certus non sit numerus praebendarum, eum in fratrem & Canonicum vestrum ob reverentiam apostolicae sedis & nostram libera-liter admittatis, prabendam sicut uni ex vobis, ipsi vel procuratori suo absque dilationis tedium conferentes: primitias precum nostrarum taliter audituri quod propter hoc vobis denuo scribere non cogamus: scituri quod sicut nostrae intentionis existit nihil praecipere in honorem, sic non relinquemus quod manda-verimus imperfectum, nec contemptum nostrum tolerabimus patienter. Datum Romae apud sanctum Petrum, X. Kal. Iulij &c.

EPISCOPO ET DECANO  
Matisconen.

*Epist. 305.  
Major & sanior Capituli  
pars in statuendo prevalebat.*

**O**fficium injuncta administratio-nis exigit ut de statu Ecclesiarum curam gerere debeamus, & quae minus ordinata fuerint, per studium nostra sollicitudinis, prout congruum fuerit, ordinentur: quatenus personis idoneis substitutis in eis, & cunctis juxta normam constitutionis Ecclesiae recte dispositis, divinae laudis obsequia ibi dignè valeant exerceri. Ex tenore siquidem literarum vestrarum nobis innotuit quod cum in Ecclesia vestra necessitas exigit aliquid ordinari, vel emendari quod minus canonice noscitur attentatum, quod a maiori parte Capituli provido consilio disponendum fore censemur, duo vel tres ex ipsis Canonici motum animi sui sequentes, suam contradictionem oponunt, & ita communem utilitatem & Ecclesiae profectum non metuunt impedire. Nos igitur Ecclesiae vestra utilitatibus pro-videre volentes, discretioni vestrae praesenti pagina indulgemus ut vobis liceat de afferu majoris & sanioris partis Capituli, paucorum contradictione seu appellatione nequaquam obstante, corrigerem (nisi juxta constitutionem Lateranen. Concilij ab eis rationabile aliquid objecsum fuerit & ostensum) qua in Ecclesia vestra corrigenda emerserint, & statuere quae fuerint statuenda. Nulli ergo &c. Datum Romae apud S. Petrum, V. Kal. Iulij &c.

AYMONI DECANO MATISC.

**C**um antiqui hostis fallax suggestio fragilitatem conditionis humanae saepius ad illicita declinare compellar, & quanto magis dolet de reparatione humani generis, tanto efficacius ipsum captivare laboret, contra ipsius astutiam cura debemus insistere diligenter, & illos quos fraudis sua laqueo nititur impedit, affectione omnimoda ad justitiae semitam revocare. Quoniam igitur quidam, ut audivimus, spiritu malignitatis inducti, Ecclesiarum bona rapere, homines earum capere, sacrilegia etiam committere, & multa alia damna eisdem non metuunt irrogare, praesenti tibi pagina indulgemus ut malefactores Matisconen. Ecclesiae, si tamen ei sint dioce-sana lege subjecti, nisi ad diligentem motionem tuam satisfactione se digna correxerint, nullius contradictione vel appellatione obstante per censuram ecclasiaticam valeas coercere. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

MILITEN. EPISCOPO.

**E**xposuisti nobis in nostra praesentia constitutis quod I. quondam praedecessor tuus Ph. in Abbatem promovit, ne sciens quod ipse manu effaserat altera mutilatus. Quia vero Abbas ipse noscitur sinistra carere, quid super hoc agendum sit, nostra voluisti responsione doceri. Nos igitur fraternitati tua taliter respondemus, quod cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoveri, & ipse in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab officio est non immerito amovendus. Datum Romae apud S. Petrum, V. Kal. Iulij &c.

SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

**E**x parte venerabilis fratris nostri R. Lugdunen. Archiepiscopi literas accepimus continentis quod cum R. quondam Archidiaconus Lugdunensis multa enormia commisisset, in ipsum exigentibus meritis mandati apostolici auctoritate recepta sententiam excommunicationis inject, & eundem officio beneficio que privavit. Verum quia (sicut tam idem Archiepiscopus quam multi alii per suas nobis literas intimarunt) predictus R. quoniam ei dedit vexatio intellectum, desiderat satisfacere

*Epist. 306.  
Ut facile legi &  
rapto bonorum  
Ecclesie coegerantur,*

*Epist. 307.  
Abbas ob gra-  
ven corporis  
defectum amo-  
veratur.  
Cap. Expofuisti.  
De corpore vi-  
tatis.*

*Epist. 308.  
De penitentia  
& absolutione  
Archidiaconi  
Lugdunensis.*